

» Quæres tamen an hæc exceptio collegiarum non insignium sit intelligenda de canonicis collegiarum ruralium, an vero etiam de urbanis. Respondendum ex decreto præfate congregationis, juxta Fagnanum ibid. sed postea probato a Gregorio XIII, esse intelligendam de canonicis collegiarum non insignium, etiam in urbibus existentium.

» Et sane refert Eminentiss. Petra, tom. IV ad *Constit.* VII Innocentii IV, sect. II, n. 30, quod S. congregatio Visitationis Apostolicæ, in causa collegiæ civitatis Lavinie, declaravit die 28 aug. 1704 non sustineri decretum visitatoris apostolici, cogens canonicos ad diurnam officianturam, sed quod servaretur solitum, quod erat de inserviando tantum diebus festivis, licet alioquin canonici haberent pingues redditus. Curatas tamen excipe, et eas in quibus aliqui de canonicis residere consueverunt, in his enim parochus, aut qui residere soliti sunt, id facere debent, etiam in non insignibus collegiis ruralibus, ut recte advertit Fagnanus, loc. cit., n. 32, ex S. C. decretis. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 2.)

ANIMADVERSIO V.

DE STATUTIS CAPITULARIBUS TEMPUS ABSENTIÆ ULTRA TRIMESTRE INDULGENTIBUS.

« Quæres an, si per Sedem Apostolicam alicubi confirmatum fuerit statutum, indulgens canonicis majus tempus absentie cum facultate percipiendi integros fructus præbendæ, eisdem abesse liceat ultra tres menses, ac integros fructus, non obstante majori absentia, percipere? Respondendum cum distinctione. Vel ista confirmatio facta est in forma specifica, et in hoc casu dico licere hujusmodi absentiam cum integra perceptione fructuum præbendæ. Vel facta est in pura forma communi, et tunc dico neutrum eisdem licere.

» Ratio primæ partis est, quia confirmatio facta in forma specifica aliquid tribuit de novo. Cum enim fit alicujus statuti confirmatio a principe ex certa scientia, cum præcedenti causæ cognitione, ac examine omnium ejus circumstantiarum, de eoque constat, eo quia in ipsamet apostolica confirmatione habetur insertus tenor statuti aut substantialis ejus narratio, vel saltem exprimitur illud fuisse examinatum ac mature consideratum, et in ipsa apposita est clausula *ex certa scientia* (quod proprie est confirmare in forma specifica) tunc hujusmodi confirmatio vim habet novæ concessionis, firmantis id quod alias invalidum est, ut explicat Rota Romana apud Far. dec. 513, n. 6, p. 2, et tradit Glossa in cap. 5, *De confirmat. utili vel inutili*; istaque clausula *ex certa scientia* æquivaleret in casu illi clausulæ derogatoriæ *non obstante* etc. ut post Panormit. ac Ric. advertit Donatus in *Prax. rer. reg.* tract. XI, part. 2, n. 10. Propterea S. C. C. plures declaravit statuta taliter confirmata a Sede Apostolica in suo robore permansisse, non obstante

conciliari sanctione cap. 12 de reform. sess. XXIV, testibus Fagnano, Garcia, ac Vetroelia apud Scarfantonium ac Ceccoper. lib. II, tit. 12, n. 5.

» Ratio postea secundæ partis est, quia confirmatio in sola forma communi nihil de novo tribuit, cum non sit nova concessio sed mera firmatio rei confirmatæ in eisdem terminis ac eodem statu in quo erat ante confirmationem, ut innumeris pene vicibus decedit laudata Rota et cum omnibus canonistis tradit Abbas in cap. *Cum dilecta*, cit. tit. *De confirmat.* ac Donatus, præd. quæst. 2. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 2.)

Cf. Adnotationem XXVI voluminis tertii.

ANIMADVERSIO VI.

DE CONSANGUINEIS EPISCOPI AD BENEFICIA NON ADMITTENDIS.

Sub hoc titulo existat Adnotatio LI, in volumine tertio. His quæ inibi dicuntur addendum quod prohibitio Piana, ex declaratione Gregorii XIII, non habet locum in resignationibus beneficiorum juris-patronatus. Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 72.

ANIMADVERSIO VII.

QUID INTELLIGENDUM PER RES EXIGUI VALORIS UBI AGITUR DE ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM?

Auctor noster, lib. III, tit. XIII, § II, n. 38, vol. quarto pag. 106, docet solemnitates ibi narratas non requiri in alienatione rerum ecclesiasticarum, quando agitur de rebus exigui valoris et sic prosequitur: « Quænam dicatur res exigui valoris? Cum id jure definitum non sit, est relinquendum judicis arbitrio qui, consideratis Ecclesiæ alienantis facultatibus, valore rei alienandæ et loci consuetudine, æstimabit et judicabit an hujusmodi res sit modica necne... »

Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 444, ulterius progreditur, his terminis scilicet: « Si autem quæras quæ dicantur res exiguæ vel modici valoris, ex decreto S. C. episcop. et regular. in *Favent.* 22 martii 1711, relato a Petra, ex stylo curiæ dicuntur quæ non excedunt summam viginti quinque scutorum aureorum, hoc est scutorum quadraginta unum cum obulis viginti quinque monete romane. Quamvis autem congregatio concilii, teste Fagnano in cap. *Nulli*, tit. *De reb. Eccl. non alien.* usque ad annum 1612 auxerit nihil circa hanc valoris summam statuere, sed deducendam esse ex jure communi, in una tamen *Messanen.*, 29 nov. 1613, et *Baren.* 12 april. 1692, declaravit posse episcopum concedere facultatem alienandi usque ad dicta viginti quinque aurea scuta. Neo ultra dictam summam alienatio, facta ab ordinario, sustinetur, ut declaravit dicta congregatio in una *Pap.* 25 maii 1710. Neque suffragatur consuetudo,

ANIMADVERSIO X

CUJUS NATURÆ SIT SUSPENSIO A TRIDENTINO LATA CONTRA SACERDOTE M SPONSOS SINE ILLORUM PAROCHI LICENTIA CONJUNGENTEM AUT BENEDICENTEM?

Adeatur primum auctor noster, lib. IV, tit. III, § II, n. 115 (volum. V, pag. 416); dein audiatur Giraldus, ibi: « Cum autem hæc suspensio sit absolute prolata, eademque oratione complectatur Tridentinum tam parochum alienum quam alium quemcumque sacerdotem, sive regularem sive sæcularem; cumque cæteroquin suspensio sic absolute prolata intelligenda sit juxta omnes canonistas ab officio solum, aut ab officio et beneficio simul, quæri hic posset a quo suspensus esset sacerdos, tam sæcularis et regularis, in hoc delinquens, carens tam officio quam beneficio.

» Huic dubio satis apte, meo videre, respondit Sanchez, *Tract. de Cens.* disput. XXXI, sect. III, § VI, n. 18, sentiens neque parochum alienum, neque sacerdotem beneficiatum in hoc delinquentem suspensum esse ab officio et respectivo beneficio, sed ab officio sacerdotali, eo pari modo quo suspensus dici deberet simplex sacerdos, tam sæcularis quam regularis. « Non est verisimile, sunt » ejus verba, voluisse concilium suspendere illos » sacerdotes ab omni officio et beneficio, ut verbum » illud simpliciter prolatum indicare videtur, tum » quia peccatum illud non apparet dignum tanta » pœna, tum etiam quia illa pœna indifferenter fertur » in parochos et sacerdotes simplices, tam regulares quam sæculares, et ita videtur solum agi de » suspensione communi omnibus illis. Censeo igitur » illam esse suspensionem ab officio sacerdotali » quia, juxta canonum intelligentiam, ex materia » subjecta determinatur pœna, ut in eo quis puniatur in quo deliquit. »

» Quamvis circa hoc idem dubium hæreat Sayrus in *The. cas. consc.* lib. IX, cap. xv, n. 9, sentiatque expetendam esse declarationem a congregatione concilii, ibi: « Secundo observandum est » non exprimi, neque ex antecedentibus vel consequentibus colligi posse a qua re sit ista suspensio. Mihi probabile videtur, tanquam mitius, satis » esse intelligere quod suspensus sit ab officio, » præsertim cum suspensio ista propter usurpationem alieni officii lata sit, de qua re consulenda » est declaratio a congregatione cardinalium qui » super concilio Tridentino ejusque dubiis interpretandis præficiuntur: interim tamen tutius est » ut se tam a beneficio quam ab officio suspensum se » credat. »

» Quidquid tamen sit de hujus auctoris opinione, crederem non esse recedendum a sententia Sanchez, aptante æqualem pœnam æquali delinquentium delicto. A qua suspensione absolvi posse resolvit etiam vicarium generalem, lib. III, disput. LII, n. 4, et disput. XLVIII, n. 7.

« Cum concilium utatur verbo *ausus fuerit*, affirmat ab illius incurso excusare ignorantiam, dom-

ut ex aliis ejusdem congregationis decretis relatis a dicto Petra, a quo solide reprobat abusus et dolus quo res magni valoris per plures alienationes modicas diversis vicibus concedi posse ab episcopis dicitur, cum id fieret in fraudem legis. »

Notandum quod regulares, quantumcumque exempti, in hujusmodi rerum exiguarum alienatione indigent licentia et decreto ordinarii; Giraldus ibid. citans decretum congregationis concilii jussu Urbani VIII editum, et *Institut.* LXIX Benedicti XIV.

ANIMADVERSIO VIII.

CALIX DE NOVO INAURATUS NOVA INDIGET CONSECRATIONE.

Animadvertendum quod auctor noster, lib. I, tit. XVI, n. 32, vol. I, pag. 494, expresse doceat calicem consecratum, si postea deauretur, nova indigere consecratione; et lib. III, tit. XL, § II, n. 46, vol. V, pag. 166, non minus expresse doceat neque calicem, neque patenam execrari, nec nova consecratione indigere, si de novo inaurantur. Immerito a sua priori sententia recessit, ut omnes hodie fatentur.

ANIMADVERSIO IX.

AN LICEAT CLERICIS POSSIDERE ACTIONES, UT AIUNT, VIARUM FERRATARUM ET ALIAS HUIUSMODI?

Sub Adnotatione XXXVI voluminis tertii docuimus non esse vetitum clericis possidere actiones viarum ferratarum et alias hujusmodi, hoc in loco vestigiis inherentes D. Bouix qui aliunde sententiam suam judicio Sanctæ Sedis humiliter subjicit, *Revue des sciences eccl.* t. II, pag. 444. Porro, in *Analect. jur. pont.* fasciculo 86, deprehendimus sequentem decisionem. Coram sacra congregatione Sancti Officii fuit agitatum dubium illud: « Utrum sit licitum ecclesiasticis personis titulos super vias ferreas emere, lucrumque ex ipsis proveniens accipere? Die 1 aprilis 1857, Sanctissimus concecit facultates episcopis communicandas per S. congregationem episcoporum et regularium permittendi ecclesiasticis ut accipiant actiones viarum ferrearum de propria pecunia tantum. » Unde concludendum occurrit I. Quod episcopi non habeant jure proprio facultatem permittendi viris ecclesiasticis possessionem prædictarum actionum; II. Quod viri ecclesiastici teneantur impetrare licentiam ab ordinario, indulto apostolico, ut supponitur, gaudente; III. Quod responsio de qua agitur nullimode faveat regularibus, qui conditioni appositæ, scilicet *de propria pecunia tantum*, satisfacere nequeunt; IV. Tandem, quod eadem non suffragatur seminariis, collegiis, monasteriis, ecclesiarum fabricis, aliisque pns locis, quia in illa de *personis ecclesiasticis* tantum verbum habetur.

nodo non sit ita crassa ut sit ingens temeritas. »
(*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 891).
Cf. Adnotationem LXXIII voluminis quinti.

ANIMADVERSIO XI.

DE JURISDICTIONE REGULARIUM IN SUOS FAMILIARES.

« In decretali *Religiosi, De privilegiis*, in Clementinis, plura regularibus prohibentur et inter cætera :

» I. Ne cuiquam tam clerico quam laico ministrare præsumant Extremam-Uncionem sine licentia parochi, sub pœna excommunicationis ipso facto Papæ reservatæ; quam tamen, sicut et alia sacramenta, administrare permittuntur suis familiaribus domesticis, aut pauperibus in eorum hospitalibus degentibus.

» Verum hoc indultum locum habet duntaxat quoties in his familiaribus copulative concurrant tres conditiones præscriptæ tam a concilio Tridentino sess. XXIV, de reform. cap. 11, quam a Gregorio XIII const. *Circumspecta*, 25 nov. 1580; 1. scilicet quod iisdem regularibus actu inserviant; 2. quod expensis monasterii intra eorum septa et domos resideant; 3. quod sub eorundem obedientia vivant, quæ quidem obedientia interpretanda est non de obedientia religiosa sed servili, qualem profitentur famuli dominis suis.

» Quod autem præfatum indultum sit in viridi observantia patet ex sequenti novissimo decreto cong. conc. in *Vratislaviæ. jur. parochial.* die 25 jan. 1738. Proposito enim dubio : « An Patri abbati monasterii S. Vincentii ordinis Præmonstratensis in civitate Vratislaviæ, sive religiosi ab eo deputatis, competat exercitium omnimodæ jurisdictionis parochialis quoad personas inservientium eidem monasterio, eorumque familias, tam degentium intra quam extra illius septa in casu? Sacra Congregatio respondit negative, et P. Abbatem seu religiosos ab ipso deputatos posse tantum laicis deservientibus intra septa monasterii, atque actu inservientibus, ministrare sacramenta Eucharistiæ, etiam tempore Paschalis, ac Extremæ-Uncionis, nec non sepulturam dare in propria Ecclesia, juxta decretum editum in *Mediolan.* ut videre est tom. VIII *Thes. resolution.* dictæ congr. pag. 17. »

• Si autem agatur de hospitibus, qui vere non sunt familiares, quamvis continuo degant intra septa monasterii, ibique infirmantur et moriantur, nullatenus dicta sacramenta, irrequisito parochi, ministrare possunt, eosque in propriis ecclesiis sepelire, ut declaravit ead. congregatio in *Astensi jur. parochial.* die 27 nov. 1717.

» Præter facultatem administrandi præfata sacramenta dictis familiaribus, eosque in propria ecclesia sepeliendi, prælati regulares et alii religiosi ab his approbati ad audiendas suorum religiosorum confessiones possunt insuper, sine approbatione episcopi, audire confessiones eorundem

familiarium, nedum ex sententia congregationis concilii relata a Fagnano in cap. *Omnis utriusque sexus, De pœnit. et remiss.* n. 63, sed etiam ex constitutione Clementis X *Superna*, 11 kal. julii 1670.

» II. In dicta decretali *Religiosi*, iidem regulares prohibentur sub dicta pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, Papæ reservatæ, ne cuiquam tam clerico quam laico præsumant Eucharistiam administrare sine licentia parochi. Quæ prohibitio, cum generaliter indicta sit, videtur amplecti administrationem, nedum per modum viatici, sed etiam quocumque alio tempore.

» Circa viaticum et communionem paschalem remanet quidem in suo robore hæc decretalis. Verum ad Eucharistiæ administrationem quod spectat, quocumque alio anni tempore, hodie ex variis privilegiis regularium et diversorum locorum consuetudine obtentum est ut, nedum in ecclesiis regularium sed etiam in quibusvis aliis licite cuique petenti independentem a parochi administratur, hujus siquidem clementinæ prohibitionem doctores apud Engel tit. XLI *De celebratione missarum* n. 21 communiter intelligunt de tempore paschali duntaxat.

» III. Prohibentur etiam præfati regulares sub eadem pœna excommunicationis, ut supra, sine licentia Parochi matrimonia solemnizare. Verum hodie, si id attentare præsumerent, hanc non incurrent juxta moderationem concilii Tridentini, a quo cap. 1, sess. XXIV, de reform. matrim. imposita est suspensio, ipso facto pariter incurrenda, et duratura arbitrio ordinarii illius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat. Per quam quidem suspensionem, juxta veriore et magis receptam opinionem, teste Thesaurio *De pœnis* cap. 1, verbo *Matrimonium*, subblata est excommunicatio a clementina inflictæ, nedum quia antiqua pœna gravior censetur abrogata per novam mitiorem, sed etiam quia ita declaratum fuisse referunt idem Thesaurus et Galle-mart ad cit. cap. 1 Trident. a S. congregatione concilii. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 891.)

Quoad Eucharistiam, certum est posse regulares illam administrare in suis ecclesiis cuilibet legitime petenti per totum annum, excepto solo Paschalis die, ut probat Benedictus XIV, *De Synodo diœc.* lib. IX, cap. xvi, n. 3.

Cf. Adnotationes XVI et XVII hujusce voluminis.

ANIMADVERSIO XII.

DE PRIVILEGIO ALTARIS PORTATILIS REGULARIBUS SUBLATO.

Equidem auctor noster, lib. III, tit. XLI, n. 1 (vol V, pag. 170), docet regulares, vi privilegii non amplius posse celebrare sacrosanctum missæ sacrificium super altari portatili in locis non sacris aut non benedictis, et apposite allegat in extens

ANIMADVERSIO XV.

DE COMMUNIONE PASCHALI.

« Præcepto communionis paschalis, inquit Giraldus, *Exposit. jur. pontificii*, in appendice, non satisfacit Eucharistiam sumens absque licentia episcopi, vel proprii parochi, non in propria parochiali ecclesia, sed in alia qualibet, quamvis patriarchalis, aut metropolitana, aut cathedralis sit, ut jam primum declaravit Congregatio concilii in *Limana, Sutrina et Perusina*, mense sept. 1619 et 23 januar. 1688. Deinde Innocentius XI, die 5 febr. 1682, etiamsi Romanæ Urbis incolæ eam sumerent in ecclesiis patriarchalibus S. Joannis Lateranensis aut S. Petri in Vaticano. Postremo Benedictus XIV, 2 jun. 1751, in epistola encyclica ad primatem, archiepiscopos et episcopos regni Poloniæ, incipiente *Magno*, § XXI. »

ANIMADVERSIO XVI.

DE CONFESIONE REGULARIUM.

« Circa facultatem quam dare possunt generales et provinciales suis religiosis, cum eorum licentia extra claustra morantibus, confitendi cuilibet sacerdoti tam sæculari quam regulari alterius ordinis, ab ordinario tamen approbato, addendum quod sequitur :

» Cum, sub die 16 sept. 1769, episcopus Hildesimensis supplici libello Clementi XIII exhibito, et ad congregationem concilii remisso, exposuisset usum invaluisse in civitate Hildesimensi ut nonnulli regulares, ad civitatem ipsam pluribus intra annum vicibus accedentes, ibique per aliquos dies commorantes, soleant sibi eligere presbyterum sæcularem ab episcopo non approbato, qui eis sit a confessionibus, quamvis non desint qui vel ex sæcularibus, vel ex regularibus, propriæque ejusque ordinis familiæ, de episcopi vel prælati regularis licentia confessiones excipiant, idque minime ferri posse censens, sequentia dubia declaranda proposuit :

« I. An tales confessiones licitæ sint in casu? » II. An ignorante episcopo validæ fuerint? III. An episcopo sciente et contradicente in posterum peragendæ validæ futuræ sint? Sacra Congregatio, die 18 nov. 1769, respondit negative in omnibus, et amplius. » — « Nequeant itaque regulares, licite extra claustrum degentes, etiam obtenta facultate a suis generalibus vel provincialibus sibi eligendi confessarium, hunc eligere qui ab ordinario loci in quo reperiuntur approbatus non fuerit. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontificii*, in appendice.)

Idem Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* pars. II, sect. 105, de eadem materia disserens sic loquitur : « An autem regularis alterius ordinis debeat esse approbatus ab ordinario, vel sufficiat ut approbatus sit a prælato suæ religionis, controvertunt doctores. Gaudentius a Janua, t. II, *De visitat. prælat. regu-*

constitutionem Clementis XI, *Quoniam sancta*, 15 decembris 1703; sed nec ullum verbum facit de sententia contraria quam ipse tenuit, lib. I, tit. XXXI, § V, n. 137 (vol. II, pag. 22); de quo lector admonendus est.

Cf. Adnotationem XLI voluminis quinti.

ANIMADVERSIO XIII.

DE USU ANNULI.

Ad calcem tertiæ voluminis pag. 626, reperitur Adnotatio XXXIV, quæ tractat de usu annuli, episcopis, abbatibus, prælati habitibus usum pontificalium, protonotariis titularibus, canonicis ecclesiarum cathedralium et doctoribus competente. In dicta Adnotatione allegantur verba Pauli Carli, cathedralis Brixiensis canonici, ex ejusdem *Bibliotheca liturgica* deprompta; porro benevolus lector animadvertere debet quod verba prædicti scriptoris ibidem citata comprehendunt totam speciem propositæ discussionem cum argumentis hinc inde allatis, et sese extendunt inclusive usque ad hæc : « ... sicut dictum est. »

ANIMADVERSIO XIV.

DE BENEDICTIONE MULIERIS POST PARTUM.

His, quæ dicta fuerunt sub Adnotationibus XXI et LIV voluminis quinti, addenda sunt sequentia.

Proposito dubio : « An benedictiones mulierum post partum etc. sint de juribus mere parochialibus? » Sacra congregatio respondit : « Negative, sed benedictiones mulierum et fontis baptismalis fieri debere a parochis. »

« Circa hoc responsum, inquit Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* in appendice, attendenda sunt decreta congregationis concilii posteriora. Die enim 3 decembris 1718, in *Dertonensi, jur. parochialium*, ad dubium VII : « An jus benedicendi sponsas et pueras spectet privative ad parochos? S. C. respondit affirmative quoad primam et negative quoad secundam partem; » ut in *Thesaurio resolution.* ejusdem Congreg. t. I, pag. 133. Et die 7 decembris 1720, in eadem causa iterum proposita : « An et in qua parte sit standum vel recedendum a decisio die 3 decembris 1718? Respondit quoad VII standum in decisio quoad primam partem, et quoad secundam esse in libertate puerperarum accedere ad quamcumque ecclesiam sibi bene visam; » dict. t. I, pag. 399.

« Idem eadem Congregatio jam prius declaraverat, die 26 junii 1620, in *Bononien.* « Regulares possunt admitti in eorum ecclesiis mulieres post partum ad purificationem, nec possunt ab episcopo prohiberi. Lib. *Decret.* XII pag. 45; et in *Forolivien. jur. parochial.* 18 nov. 1684 ad IV, et in *Nonantulana* 13 jan. 1685. »

VII.

lar. cap. vii, dub. xx, sect. 1, n. 5, sustinet sufficere approbationem praelati regularis. Gaudentio ceterisque auctoribus idem sentientibus favere videtur Benedictus XIV qui, in constitutione *Quod communi*, 30 martii 1742, § II, declarat ut quilibet ex ordine Capuccinorum, sive sacerdos, sive conversus, cum debita licentia extra claustra degens, si nullum ex dicto ordine confessarium reperiat, confiteri possit peccata sua cuilibet sacerdoti saeculari ab ordinario loci approbato « et etiam regulari, dummodo approbatus sit a suo superiori regulari ad sacramentales confessiones excipiendas. » Verum cum id speciatim indultum sit religiosi ordinis Capuccinorum dumtaxat, statui nequit generalis regula pro religiosi cæterorum ordinum, ideoque, cum agatur de administratione sacramenti, sentio non recedendum esse in praxi pro aliis regularibus a contraria sententia utpote tutiori. »

Cf. Adnotationes XVII et XVIII sequentes.

Notandum quod non competat superioribus locabilibus facultas deputandi confessarios pro excipiendis suorum religiosorum confessionibus, bene vero praelatis regularibus, id est generalibus et provincialibus. Sed, ex constitutione Clementis VIII, *Romani Pontifices*, 23 nov. 1599, ab hac generali regula excipitur casus deputationis confessarii novitiorum, semel vel bis in anno faciendæ, si ita expedire judicaverint, ibi § XVII: « Magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat autem superiori etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorundem novitiorum confessiones audire. » Giralduus, loco citato.

ANIMADVERSIO XVII.

DE APPROBATIONE CONFESSARIORUM.

« Præter Pauli V, Urbani VIII et Clementis X constitutiones, Innocentius XII, per suam constitutionem *Cum sicut*, 19 april. 1700, decrevit ac declaravit confessarios tam saeculares quam regulares, quicumque illi sint, in vim bullæ cruciatæ a poenitentibus ad audiendas eorum confessiones electos, eas audire non posse sine approbatione ordinarii loci in quo ipsi poenitentes degunt et in quo confessarios ad suas excipiendas confessiones requirunt; neque ad hoc suffragari approbationem semel aut pluries ab ordinario aliorum locorum obtentam, etiamsi poenitentes subditi illorum ordinarii forent qui confessarios electos approbassent; adeoque confessiones in posterum aliter factas et auditas nullas, irritas atque invalidas fore: sacerdotibus vero, qui illas audire præsumperint, suspensionis poenam ipso facto incurramdam indixit. Opinionem autem contrariam tanquam falsam, temerariam, scandalosam, et in praxi perniciosam damnavit, eamque doceri, sustineri, aut ad praxim deduci sub poena excommunicationis ipso facto incurramdam prohibuit.

» Innocentii XII constitutionem confirmavit mox per litteras in forma brevis Innocentius XIII, *Apostolici ministerii*, 13 maii 1723, quibus etiam declaravit sacerdotes, sive saeculares, sive regulares, qui ab episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus personarum, non posse sacramentum poenitentiae administrare extra tempus, vel locum, vel personarum genus ab ipsis episcopis præscriptum, quocumque privilegio, etiam in vim bullæ cruciatæ, nullatenus suffragante. Sacerdotibus autem tam saecularibus quam regularibus, ad confessiones excipiendas, vel ex vi bullæ cruciatæ, vel ex quocumque alio privilegio electis, minime suffragari quod approbati alias fuerint ab episcopo qui loci, in quo confessiones audiendæ sunt, ordinarius aliquando fuerit sed non amplius sit, vel quia obierit, aut episcopatus renuntiaverit, vel quia ad aliam ecclesiam auctoritate apostolica fuerit translatus, sed necessariam omnino esse illius approbationem qui actu ordinariam in ea diocesi exerceat jurisdictionem; eam tamen sufficere etiam tacitam, ac tamdiu durare quamdiu præcedens approbatio expresse revocata non fuerit: in quo casu nova ex integro impetranda est, non secus ac quando prior approbatio, tempore præfinito elapso, expiraverit.

» Innocentii XIII litteras Benedictus XIII aliis apostolicis suis litteris *In supremo*, 23 sept. 1724, approbavit, confirmavit atque innovavit.

» Verum cum novæ hæc super re excitari possent controversiæ, Benedictus XIV, ut omnem in posterum dubitandi occasionem adimeret, constitutionem edidit *Apostolica indulta*, nonis augusti 1744, qua statuit ac declarat idem omnino jus, quod vigore prædictorum decretorum circa intelligentiam et usum indulti bullæ cruciatæ obtinet, etiam quoad reliqua ejusdem generis indulta pariformiter valere atque obtinere debere; et reprobationem dictarum opinionum, quatenus respiciunt intelligentiam et usum indulti bullæ cruciatæ, a præfatis Pontificibus proscriptarum, locum similiter habere, quatenus easdem opiniones et sententias in medium proferri contingeret, circa similia etiam indulta sive universis per Ecclesiam Christi fidelibus, sive alicui regioni, aut loco, universitati, aut cœtui particulari sodalium seu confratrum, quomodocumque et ubicumque concessa vel concedenda. Præter hucusque a laudato Benedicto statuta et declarata hæc subdit:

« Insuper decernimus et declaramus id, quod generaliter de indultis præmissis sentiendum jam diximus, generaliter quoque intelligendum esse de omnibus et singulis personis quæ sub eorundem indultorum concessione comprehensæ reperiuntur, vel quas in posterum comprehendi contingat, quæque supradictis indultis uti voluerit, ita videlicet ut, si in aliquo indulto tam saecularibus quam regularibus tribuatur facultas eligendi confessarium ab ordinario loci approbatum, tunc confessarius vigore talis concessionis, sive a saeculari sive a regulari poenitente ad audiendas eorum respective confessiones electus, nullatenus

» ejusmodi confessiones audire valeat nisi ab episcopo diocesano et ordinario loci, ubi confessio excipienda est, ad confessiones approbatus et deputatus existat, quæcumque alia approbatione tam illius generis quam uterque Innocentius prædecessores prædicti declararunt non suffragari, quam ea, si de regularibus agatur, quæ a solo proprio regulari praelato obtenta foret, minime suffragante. Equum est enim et rationi consentaneum ut quicumque speciali indulti beneficio gaudere eoque uti voluerit, is condiciones in eodem indulto præscriptas omnino servet; neque licitum est cuiquam conditionem illam approbationis confessarii per loci ordinarium faciendæ alio modo intelligere quam eo quo ipsam intelligendam esse toties prædecessores nostri Romani Pontifices, ut præmissum est, decreverunt. Quorum nos quoque vestigiis inherentes, præfatam conditionem in eodem plane sensu quem illi tradiderunt ab omnibus et singulis, hujusmodi indulto sub ea conditione concesso utentibus, accipiendum et servandum esse statuimus atque mandamus, quicumque illi fuerint, qui in vim ejusmodi indulti confessarium sibi eligant, sive saeculares sive regulares cujuslibet ordinis et instituti, tam mendicantium quam non mendicantium, et ordinum militarium, etiam militiæ hospitalis S. Joannis Hierosolymitani necnon Societatis Jesu, atque alterius cujusque congregationis vel societatis, tametsi de illis, aut illorum, vel illarum aliquo seu aliqua, specialis et expressa mentio quomodocumque faciendæ foret. Ideoque confessiones et absolutiones in præmissis casibus aliter in posterum factas, et respective auditas seu impertitas, irritas fore et invalidas declaramus; et contrariam quamcumque opinionem ejusque praxim deinceps prohibemus ac reprobamus, tanquam explanatæ toties ab Apostolica Sede verborum intelligentiæ ac menti nostræ, quam ad omnem hac suæ re ambiguitatem tollendam per præsentem clarius exposuimus, penitus adversantem. »

Hæc omnia apud Giralduum, *Exposit. jur. pontif.*, in appendice, qui apposite concludit sacerdotes tam saeculares quam regulares, ne vigore quidem bullæ cruciatæ, aut jubilæi, in quo cuique etiam regulari concedi solet a Sede Apostolica facultas sibi eligendi confessarium, valide absolvere poenitentes, nisi actu approbati essent ab ordinario loci ubi confessiones audirent, neque si non absolvent juxta licentiam concessam cum limitatione, vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus personarum.

Cf. auctorem nostrum, lib. V, tit. XXXIX § VIII, n. 259, vol. VI, pag. 610, de regularibus iter facientibus.

ANIMADVERSIO XVIII.

DE CONFESSARIO JURISDICTIONEM DUBIAM HABENTE.

Propositio sequens fuit proscripta ab Innocentio XI, 2 martii 1679: « Non est illicitum in

sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis. » — « Hanc propositionem habere locum, inquit Giralduus, *Exposit. jur. pontif.* part. II, sect. 10^a, doctores authumant de materia et forma dumtaxat; repetam tamen hic a ma notata in Addition. ad Thesaurum, *De poenis*, cap. II, v^o *Absolutio*, cum clarissimo auctore Paulo Comitolo, societatis Jesu, lib. VI *Resolut. moral.* quæst. LVIII, n. 10, asserente « sicut in sacramentis vera requiritur forma et vera materia, ita verus non omittatur minister. » Cui adstipulatur etiam Joannes Cardenas, alter ejusdem societatis auctor qui, dissert. I, cap. vi, art. iv, n. 137 et seqq. ad propositionem primam ab Innocentio XI proscriptam, luculenter probat necessario requiri opinionem certam, etiam quoad jurisdictionem in ministro; imò addit contrariam sententiam subjacere damnationi dictæ propositionis, ibi: « Quamvis non pauci auctores censere videantur licite posse absolvi poenitentem a confessario, cui solum inest jurisdictio probabilis, illud tamen certum supponendum est opinionem, quæ asserit absolvi posse cum sola jurisdictione probabili, et esse certo falsam et huic damnationi subjacere. Est enim certo falsum quod licet exponere frustrationi sacramentum poenitentiae, atqui sacerdos absolvens cum sola jurisdictione probabili exponit frustrationi sacramentum poenitentiae, ergo est certo falsum quod licet etc. Major est evidens et constat etiam ex damnatione; minor patet, nam si coram Deo non est vera ea opinio probabilis de jurisdictione sacerdotis, ille quidem absolvit sine jurisdictione, atque adeo absolutio est nulla. »

Petrus Scavini, *Theolog. mor. univ.* edit. IV Parisiensi, apud Lecoffre 1863, tract. X, disp. I, cap. iv, art. 1, n. 100, distinguit cum Barbosa, Sporer, Suarez et aliis: « Vel aliqua tunc adest causa gravis necessitatis aut magnæ utilitatis vel non. Si causa non adest, non licet sacramentum administrare... Si vero gravis causa adest, tunc fas est uti jurisdictione speculative tantum probabili; cum enim adsit in Ecclesia consuetudo universalis (ab Ecclesia non ignorata) ferme omnium confessariorum absolvendi poenitentes cum tali jurisdictione, et agatur de re, quæ ab Ecclesia ipsa suppleri potest, certo suppleri præsumitur in dicto casu gravis necessitatis aut magnæ utilitatis ob bonum animarum, ne dicamus ipsam tolerare sententiam quæ nimium vergit in fidelium perniciem, quod nefas suspicari. Eo igitur in casu confessarius noster in praxi non absolvit cum sola opinione probabili, sed cum sententia moraliter certa, non quidem directa sed reflexa. Nec obstat propositio damnata, nam illa loquitur de opinionibus circa ea in quibus nihil potest Ecclesia, id est circa sacramentorum materiam et formam, non vero circa